



## Quotidiana Christiani Militis Tessera

Stanyhurst, Guillaume

Coloniæ Agrippinæ, 1682

6. Dies Novemb. Securus transcendo cætera, quando ille me sub te tenet,  
qui est super omnia. S. Augustinus in Psalm. 5.

---

---

**Nutzungsbedingungen**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-55659](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-55659)

## 6. DIES NOVEMB.

Securus transcendendo cætera, quando ille me subter-  
net, qui est super omnia. *S. Augustinus in Psalm.*

Familiari. I.  
tas cum  
Deo:

**N**on satis tibi erit, ut heri con-  
vici, habeas Deum ex tunc  
placatum, ex offenso propiti-  
um; ex severo benignum, et

Judice patrem, eundem habere stude commercio fa-  
miliarem, conversatione amicum. Familiaritas officii  
est cum amico frequenter colloqui; Id inter-  
cias movet te Dei tui majestas, quæ laudem tuam  
meretur, movet tua vilitas, quæ tuam obje-  
nem: suadet Dei tui beneficentia, quæ gratias tuas  
exigit, & tua denique egentia, quæ spem ejus postulat,  
qua sine notis sufficis sed deficiis, movet te ejus  
præsentia, quæ reverentiam tuam & adorationem  
postulat, & tua injuria, quæ præsentem non venietur,  
neque hic excuses tempus, potes alloqui quovis  
tempore, mane, vesperi, meridie, potes colloqui quovis  
momento, non longo alloquio, sed brevi suspirio  
non opus est dum oras, sit exores, captatione benevo-  
lentiæ, ubi alloqueris ipsam benevolentiam: nec de-  
bes te exquisito artificio reddere attentum, qui sem-  
per non tantum ad verba tua attendit, sed ut te exau-  
diat totus tibi intendit; nec docilem, qui prorsum  
ores, novit quid sis oraturus, & ut efficaciter ores, te  
docet: non opus est, ut scribentibus proœmiis, ut  
agentibus fabulam prologo, ut è suggestu peroranti-  
bus, exordio, tuum dum oras oris exordium, sit cordis  
suspirium, semper a pud illum sunt blanda fandi tem-  
pora, cui ut audiatur, omne tempus est opportunum  
nullum intempestivum.

II. Quæ

II. Quantò promptius est negotiari cum Deo Salvatore, quàm cum Principibus, in quibus non est salus? est miles jam emeritus, & de Principe optimè meritus, qui post plurima, quæ in gratiam Principis, sub ejus aquilis, obivit pericula, post gravissima quæ tulit incommoda, post molestissima quæ devoravit tædia, post omne quod Principi suo præstitit obsequium, flagitat præmium, offerre illi intendit libellum supplicem, is si Principem mane accedat, non succedet, respondebitur enim: nimis cito, adhuc quiescit, si vespere, nimis serò, jam decumbit; si in meridie, importunum est, jam prandet, si à meridie, intempestivum, jam aliis distinetur negotiis. Jam verò ubi libellum supplicem admisit, non statim inspirat, & ubi inspexit, non illi annuit, sed ad consilium suum, ad Judices remittit: illic ipsi libellum accuratè examinant ad Justitiæ libellam, inde non rarò ad alios remittunt. Sic ille libellus dum ad hos mittitur, ad illos remittitur, sæpè amittitur, & sæpè post multa merita, vel infra meritum valde parum, vel pro meritis admodum nihil accipit: hic verò quovis tempore, imò & temporis momento, magnum illum Regem convenis: & ecce vix os ut petas aperis, mox illud quod petiisti accipis, imò promptior est ille dare quàm tu accipere: quin & urget, & petit à te ut petas; & sic petendo accipias. Et quotus quisque tantum Dei beneficium Deo refert acceptum?

III. Amici quoque est familiaris, non modò cum illo colloqui, sed communicare secreta omnia; quæ sunt in corde clausa, aperire, abdita referare, quæ occulta, patefacere. Et quocum secreta tua conferes

tutius, quàm illi qui totus est tui tutela? cui secreta, quàm illi qui est secretissimus, cui potius revelabis tua abscondita? quàm illi, qui videt in abscondito? quocum ages confidentius, quàm cum eo, cui es perfectissimus? qui ea quæ per te novit, à te nosse cupit, ut communicationis fiducia obtineat consilii & solatii gratiam. Cave autem loquaris ore, non corde: illo laudes, hoc non æstimes; illo roges, hoc non desideres: honores illum non tam labiis, quàm officiis. Quid proderit, imò quantum non oberit, orantes attollere manus ad cælum, & oculos declinare in terram; cum tanta Majestate miscere colloquium, & cum quibuscumque hominibus cogitando habere commercium, sermocinari cum Deo, & negotiari in foro? Alloqui Divini decus est, reverentia, dos est sinceritas, sine quibus si Deo loqueris, familiaritatis jura infringis, humanitatis leges violas, & ubi debuisses, certè potuisses, sperare beneficium, debes expectare supplicium. Denique ut cum fructu ores, transcendente animo omnia & conscende ad eum qui est super omnia. Eris super omnia, atque ad eum securus, si sis sub Deo, hoc est non tam ore, quàm corde orare, quia

*Dum cor non orat, ne quicquam lingua laborat.*

### 7. DIES NOVEMB.

Quid petentibus se, non dabit, qui seipsum non petentibus dedit. *S. Chrysologus serm. 67.*

Oratio. I.

**Q**uanta ex hac tessera nobis, quid vis à Deo impetrâdi oritur fiducia, quid negabit qui se donavit? scilicet, qui dedit se, non dabit